



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Duplici conclusione Lutheranorum & Calvinistarum error refellitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

habuit & habet adhuc status: alium enim statum habuit in lege naturæ sub Patriarchis, alium in veteri testamento sub Sacerdotibus, Levitis, & Prophetis, & alium habet nunc in lege Evangelica sub Christo & Apostolis, & Pontifice Romano à quo regitur. Item alium habet statum in terris, ubi contra hostes pugnat, & spirituales militiam exercet, unde militans nuncupatur: alium in purgatorio, ubi igne probatur, & à reliquiis peccatorum purgatur, unde patiens dicitur; alium in cælo, ubi sponso fruatur, & de superatis hostibus victoriam celebrat, à quo triumphans appellatur. Una tamen propterea esse non definit; non secus ac homo, licet alium statum in pueritia, alium in virili ætate, alium in senectute habeat, idem numero censetur.

Præter hanc generalem Ecclesiæ acceptionem, est alia strictior & angustior, quæ consideratur sub statu quem in lege Evangelica à Christo Domino accepit, sicque definitur à Banne hic art. 10. & cæteris aliis: *Societas visibilis fidelium baptizatorum, sub uno capite Christo in cælis, & Vicario ejus in terris, inter se eodem cultu communicantium.* Quæ definitio sufficienter manet explicata ex dictis in præcedenti.

Suppono secundò, Ecclesiam hoc secundo modo acceptam, visibilem esse, Ecclesia enim in terris est essentialiter societas non Angelorum neque animarum, sed hominum: non autem dici potest societas hominum in terris, nisi externis & visibilibus signis consistat, quia non est societas, nisi se agnoscant qui dicuntur socij: non autem se possunt homines agnoscere in statu viæ, nisi societatis vincula sint externa, atque adeò visibilia. Adde quod Matthæi 5. Ecclesia comparatur civitati supra montem positæ, quæ abscondi non potest. Et Isaïæ 2. de ea dicitur: *Erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes Gentes.* Quæ testimonia Augustinus Tract. 2. in Joan. de Ecclesia explicat, concludens his verbis: *Quid amplius dicturus sim, quam cæcos qui tam magnum montem non vident.* Item Psal. 18. in Sole posuit tabernaculum suum: id est (inquit ibidem Augustinus) in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto. Quod confirmat Epist. 166. ad Donatistas, dicens: *Ipsa est Ecclesia in Sole posita, id est in manifestatione, omnibus nota, usque ad terminos terre.*

Dices, Quod credimus, invisibile est: Sed Ecclesia à nobis creditur, quandoquidem dicitur in Symbolo, *Credo Ecclesiam*: Ergo illa non est visibilis.

Verùm huic instantiæ facillè respondetur, quod sicut in Christo erat aliquid quod videbatur, nempe ejus humanitas, aliud quod credebatur, nempe ejus divinitas; & sicut in baptismo videmus externam aquam & abluionem, credimus autem internam vim regenerandi, & peccata ablundi. Ita in Ecclesia est aliquid quod credimus, & aliquid quod videmus: credimus enim eam regi à Spiritu Sancto, extra eam nullum posse salvari, & similia; videmus autem congregationem hominum exterius Deum colentium, & fidem sub uno visibili Pastore profitentium. Itaque licet fides interna & sanctitas, quæ est præcipua forma Ecclesiæ, quæ est in multis membris, non videatur, videtur tamen Ecclesia per suas notas externas, illa non visâ; sicut videtur homo per externa accidentia, non visâ animâ.

Suppono tertio contra hujus temporis hære-

aticos, Ecclesiam non solum ex prædestinatis, sed etiam ex reprobis constare: Christus enim in Evangelio Ecclesiam suam comparat sagemæ misceam in mare, & ex omni genere piscium congreganti, aræ in qua palea & triticum simul reperiuntur; agro in quo bonum semen & zizania admixta sunt; convivio nuptiali, ad quod boni & mali vocati sunt; decem virginibus, quarum quinque prudentes sunt, quinque fatuæ; ovili, in quo reperiuntur oves & hædi. Demum Apostolus 2. ad Timoth. 2. Ecclesiam comparat magnæ domui, in qua sunt diversa vasa, quædam in honorem, alia in contumeliam.

De Ecclesia ergo Christi, quæ in terris est visibilis & conspicua, constansque ex reprobis & prædestinatis, inquirimus, an sit infallibilis in credendo, subindeque certa & infallibilis regula fidei, vel possit errare, sive sentiendo, sive proponendo aliquid fidei contrarium. Quod ut magis declaretur,

Notandum est, dupliciter intelligi posse Ecclesiam errare in fide. Primò, culpabiliter incidendo in hæresim, vel errorem culpabilem. Secundò inculpabiliter, errando cum ignorantia invincibili. Prior errandi modus pejor est, & fidem plane destruit, ideòque Ecclesiæ magis repugnat quam posterior; uterque tamen ab illa removendus est; ad refellendum errorem Lutheranorum & Calvinistarum, docentium Ecclesiam visibilem, quæ primis quingentis annis habuit veram fidem & religionem, postea errasse credendo, & credenda proponendo quæ non erant fidei, & multis sæculis usque ad tempora Lutheri in errore perstitisse, Contra quam doctrinam sit

§. II.

Duplici conclusione Lutheranorum & Calvinistarum error refellitur.

Dico primò, Ecclesiam universalem non posse errare culpabiliter in fide.

Probat primò conclusio duplici celebri Scripturæ testimonio. Primum habetur Matth. 16. ubi Christus dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Ubi per portas inferi significatur Dæmonis potentia & astutia, quæ maxime in disseminandis hæresibus & erroribus versatur: Ergo Christus verbis illis apertè in sinuavit, nullas hæreses adversus Ecclesiam super Petram fundatam prævalituras. Unde Augustinus lib. 1. de Symbolo ad Catechum. cap. 6. *Pugnare potest, expugnari tamen non potest: hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia, de vite præcisâ; ipsa autem manet in radice sua, porta inferi non vincet eam.*

Secundum testimonium sumitur ex Apostolo 1. ad Timoth. 3. ubi sic ait: *Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, firmamentum & columna veritatis.* Ubi Ecclesia in primis appellatur *Domus Dei viventis*: absurdum autem est, domum illam in qua Deus inhabitat, & quam suâ præsentia jugiter illustrat, errorum sordibus & tenebris contaminari & obscurari. Deinde dicitur *columna & firmamentum veritatis*: columna, quia sustinet & sustentat veritatem, cum nihil sentire & credere contra veritatem possit: firmamentum verò, quia præ sua in definiendo infallibilitate, veritatem ipsam firmat & statuit.

9. Respondent Sectarij, Ecclesiam vocari ab Apostolo columnam & firmamentum veritatis, quia est fida custos verbi Dei, quod errare nequit.

Sed contra primò, non est proprium columnæ, sed arcæ, custodire, unde juxta hanc expositionem, debuisset Apostolus Ecclesiam arcam potius quam columnam appellare. Secundo, juxta eandem explicationem, Judæi infensissimi Christianæ Religionis hostes, deberent dici columnæ & firmamenta veritatis, quandoquidem verus testamentum, quod pariter verbum Dei continet, diligenter custodiunt.

10. Probatur secundò conclusio ex Cypriano libro de unitate Ecclesiæ, cap. 5, ubi sic ait: *Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica: At si erraret culpabiliter in fide, eo ipso deficeret à suo sponso, & fieret adultera, ut constat: Ergo in hæresim, vel errorem culpabilem, incidere nequit.*

11. Probatur tertio: Si Ecclesia universalis culpabiliter erraret in fide, talis error in Christum & Spiritum Sanctum redundaret: Consequens non debet admitti: Ergo nec Antecedens. Sequela Majoris probatur: Christus est caput Ecclesiæ, & Spiritus Sanctus ejus cor, ut docet S. Thomas 3. p. quæst. 8, art. 1. ad 3. his verbis: *Caput habet manifestam eminentiam respectu cæterorum exteriorum membrorum, sed cor habet quandam influentiam occultam, & ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat & unit, capiti autem comparatur ipse Christus, secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus præfertur.* Atqui naturali lumine constat, defectus actionum internarum corporis, tribui capiti & cordi: Ergo si Ecclesia universalis culpabiliter erraret in fide, talis error in Christum & Spiritum Sanctum redundaret.

12. Dices, Christus est caput, & Spiritus Sanctus cor cujuslibet fidelis, & tamen error illius in fide, nullo modo in eos redundat: Ergo nec error totius Ecclesiæ in Christum & Spiritum Sanctum redundaret.

Sed nego consequentiam & paritatem: disparitas est, quia fidelis particularis potest definire esse membrum ipsius Christi & Ecclesiæ, per errorem culpabilem: at verò Ecclesia, supposita Christi promissione quæ habetur Osee 2. *Desponsabo te mihi in fide in sempiternum*, definire non potest esse corpus mysticum illius.

13. Dico secundò, Ecclesia non potest errare in rebus fidei, nequidem per ignorantiam invincibilem & inculpabilem.

Hæc conclusio sequitur ex dictis in priori, quæ non tantum excludunt ab Ecclesia errorem culpabilem, sed etiam inculpabilem. Nam alioquin portæ inferi adversus eam prævalerent, & illa non esset columna & firmamentum veritatis, si posset decipi credendo falsum, etiam per errorem invincibilem; neque enim tunc veritatem, sed errorem fulciret. Neque haberet infallibilem & perpetuam Christi & Spiritus Sancti assistentiam, quæ doceatur omnem veritatem, ut dicitur Matth. 25. & Joan. 14. Sed potius talis error in Christum & Spiritum Sanctum redundaret, ut ex suprà dictis pater.

Addo quod, si Ecclesia Christi posset errare credendo aliquid falsum, tanquam fide certum, etiam per ignorantiam invincibilem, tota vel fere tota ejus fides dubia redderetur, quia in plurimis dubitare posset, & formidare, ne fortè per

Tom. IV.

A ignorantiam decipiatur: quæ ratio in ijs omnibus locum habet, quorum ultima resolutio creditilitatis sit ad traditionem & consensum generalem Ecclesiæ.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijciunt in primis hæretici: Ecclesia in Scripturis & SS. Patribus sæpe lunæ comparatur: Ergo sicut luna à claritate deficit, & eclypsim patitur, ita & Ecclesia potest à fide deficere, & incidere in errorem.

Respondeo Ecclesiam non in eo similem lunæ dici in Scriptura & SS. Patribus, quod sicut luna deficiat, sed potissimum in istis tribus. Primò quia sicut luna initio mensis exigua est, ac deinde paulatim crescit, donec plena & perfecta sit; ita Ecclesia in principio sui ortus, exiguum terræ partem occupabat, sed postea ita crevit, ut tandem toto terrarum orbe diffusa sit. Sic Augustinus in Psalmum 103, circa illum versiculum, *Fecit lunam in tempora*. Secundo, quia sicut luna accipit lumen corporale à Sole, ita Ecclesia accipit lumen fidei & sanctitatis à Christo. Ita etiam Augustinus in Psalm. 10. *Luna (inquit) intelligitur Ecclesia, quod suum lumen non habeat, sed ab unigenito Dei Filio, qui multis locis in Sanctis Scripturis allegorice Sol appellatus est, illustratur.* Et Philo

Episcopus Carpatius in Cantica Canticorum: *Luna comparatur Ecclesia, propterea quod quidquid habet divini luminis, id à justitia Sole illo immobili atque divino accipit.* Tertiò, quia sicut luna mutationi obnoxia est, ita & Ecclesia in hac vita; interdum enim fruitur pace, interdum persecutiones patitur, nunquam tamen deficit: Ecclesia (inquit Ambrosius) *tempora sua habet persecutionis & pacis, nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit: obumbrari potest, deficere non potest.* In ijs ergo consistit similitudo inter Ecclesiam & lunam, non verò in defectione, nam

D Ecclesia in fide semper firma, stabilis, ac immobilis est, & hac in parte, non lunæ, sed Soli assimilatur, juxta illud Prophetæ Psal. 88. *Thronus tuus sicut Sol in conspectu meo, & sic luna perfecta in æternum, & testis in celo fidelis.* Quæ verba constat intelligi de Ecclesia, in qua propriè Christus regnare, & solium suum constituere dicitur. Comparatur autem primò Ecclesia Soli, quia in se veri Solis imaginem in claritate & immutabilitate repræsentat. Secundo Lunæ, quia etsi vicissitudines multas patiatur, & interdum persecutionum nubibus tota obscurari videatur, semper tamen radijs Solis illustratur; imò cum lux ejus non amplius conspicua est hominibus, ipsi Soli proximior est, subindeque magis ab eo illuminatur. Tertiò comparatur Iridi, quam, per

E *testem in celo fidelem*, Propheta intelligit, quippe quæ fideliter non amplius per aquas futurum diluvium annuntiat. Iridi, inquam, comparatur Ecclesia, propter maximam suorum membrorum varietatem, quæ per diversos Iridis colores adumbratur, vel, ut alij volunt, ob varias dignitates, variaeque officia, à Christo cum in cælum conscenderet illi concessa.

Obijciunt secundò: Ecclesia olim sæpe defecit à fide: Ergo modò etiam potest in fide deficere, sive errare. Consequentia patet ob paritatem rationis: Antecedens verò probatur primò. Initio mundi in solis Adamo & Eva Ecclesia tota consistebat, & tamen uterque fidem amisit, & à Deo

K k. iij

14.

15.

Lib. 6.
Exame
cap. 11.

16.